

ARTICULUS III

De dominio clericorum.

Nota 1^o triplicis esse generis bona clericorum, patrimonialia scilicet, quasi-patrimonialia et ecclesiastica. — Patrimonialia sunt quæ ipsis obveniunt independenter ab omni tam ministerio quam beneficio ecclesiastico, suntque ipsis et laicis communia. — Quasi-patrimonialia sunt quæ clericis obveniunt, non ratione beneficii ecclesiastici, seu ex bonis ipsi Ecclesiæ oblati et appropriati, sed ratione ministerii personalis ecclesiastici, quasi ejus merces et stipendium; sive, quod idem est, quæ a fidelibus offeruntur, non ipsi Ecclesiæ approprianda, sed particularibus ejus ministris in operis stipendium, v. g., ob celebrationem missæ, funerals obsequia, concionem, cantum, etc. — Ecclesiastica sunt quæ recipiuntur a clericis ratione et titulo beneficii, puta canonicatus, decanatus, etc. Quantum ad distributiones quas vocant inter præsentés, probabilius sunt revocandæ ad bona ecclesiastica, si, sicut fit ordinariè, dentur ex bonis Ecclesiæ.

[Distinguuntur etiam bona parcimonialia, quæ quidem ad bona ecclesiastica ex natura sua pertinebant, sed ea distraxit clericus ex sua congrua sustentatione, vivendo parcius quam honeste vivere posset. Ad quasi-patrimonialia reduci videntur.]

Nota 2^o primis Ecclesiæ temporibus bona clericorum fuisse communia, sicut nunc sunt in monasteriis, dispensatione penes episcopum relicta. At vero, crescente in dies fidelium et clericorum multitudine, cumque ex quorundam cupiditate redderetur difficilior communis vivendi modus, summi Pontifices jusserunt hæc bona in quatuor portiones dividi: prima assignata episcopo; secunda clero; tertia fabricæ; quarta pauperibus. Ita legitur in Decreto, caus. 12, q. 2, cap. *Concesso*; cap. *Quatuor*; cap. *de Reditibus*; cap. *Cognovimus*, etc.

Hæc divisio primum inchoata sub B. Sylvestro, circa annum 324, ut patet ex cap. 4 concilii Romani per eum celebrati, non ubique statim invaluit, sed paulatim profecit.

Progressu vero temporis accidit quod hæc quarta pars pauperum in pluribus ecclesiis non reperiatur amplius, forte quia periit injuria temporum, aut hostium direptione, aliave calamitate; vel forte quia non fuit constituta in fundis, sed in pecuniis quæ distributæ tandem finem acceperunt; vel denique quia neque a fundatoribus, neque ab Ecclesiæ prælatiis ulla fuit portio assignata pauperibus, quod saltem plerumque verum est quoad ecclesias post tempora factæ divisionis erectas.

Nota 3^o beneficiorum fructus posse spectari, vel quatenus sunt necessarii ad honestam sustentationem, vel quatenus sunt superflui huic honestæ sustentationi, quæ non consistit in indivisibili, ut dicemus infra.

Suppono 1^o ut certum, clericos habere dominium bonorum patrimonialium, sic ut de ipsis pro libitu valide disponere possint; quia in sua ordinatione non abdicaverunt tale dominium, neque ordinatio aut officium clericale ad id eos obligat. Unde, quantum ad hoc, parè sunt conditionis ante et post susceptum clericatum.

Suppono 2^o cum communi sententia, clericos bonorum quasi-patrimonialium habere absolutum dominium, non secus ac patrimonialium; quia hæc bona dantur clericis ut stipendium quoddam sustentationis, non mere gratuitum, sed eis debitum ratione operis personalis, ideoque relictum liberæ eorum dispensationi. Neque enim fideles conferentes intendunt aliquod onus ipsis imponere, sed suæ obligationi satisfacere, neque ullo canone juris evinci potest aliquod onus ab Ecclesia imponi talibus bonis.

Suppono 3^o etiam cum communi sententia, clericos portionis proventuum ecclesiasticorum necessariæ sustentationis

tioni congruæ habere absolutum dominium, sic ut de illa ac de bonis patrimonialibus pro libitu possint disponere. Ratio est, quia hæc portio est justum stipendium officii quod beneficium annexum habet; qui enim altari deseruit, jus habet ut de altari vivat, secundum Apostolum, I, Cor., ix, 13. Unde idem dicendum est ac de quasi-patrimonialibus.

Confirm. Omnis operarius manualis, et quod propius nos tangit, cantor, v. g., organista, sacrista, laici, fiunt absolute domini portionis quæ ipsis tribuitur ex bonis ecclesiasticis in stipendium sui officii, et de ea ad libitum disponere possunt. Quidni et clericus?

Difficultas itaque potissimum est de parte proventuum ecclesiasticorum superflua congruæ sustentationi. Equidem inter omnes convenit, clericos non posse licite de ea disponere pro libitu, sicut de patrimonialibus, aut quasi-patrimonialibus, aut parte necessaria, sed teneri, saltem ex lege charitatis et ex præcepto ecclesiastico, illam impendere pauperibus, aut aliis usibus piis. Utrum vero etiam teneantur ex justitia, sic ut obnoxii sint restitutioni, si in alios usus profanos expendant, valde controvertitur. Eorum qui partem affirmativam tuentur, non unum est principium. Quidam id affirmant, quod putent clericos nullatenus habere dominium hujus partis superflue; alii, quod, licet agnoscant verum dominium, velint illud esse vinculatum, sicut, v. g., dominium hæredis in hereditatem legatis vel debitis gravatam. Hanc sententiam alterutro fundamento nixam ultro fatemur esse probabilem, in praxi tutiorem et clericis consulendam. Attamen, cum probabiliori et nunc communiore sententia,

Dico 1º: Probabilius est clericos, saltem nunc post creata beneficia, habere absolutum dominium partis proventuum ecclesiasticorum congruæ sustentationi superflue, sic ut de illa possint pro libitu valide disponere (licet illicite, ut dicam infra); nec teneantur ex justitia illam erogare pauperibus aut in usus pios, adeoque nec sint obnoxii restitutioni, si in alios usus impendant. Ita Ostiensis, Barbatias, Adrianus, Dom. Soto, Bannez, Lor-

cas, Valentia, Lopez, Covarruvias, Lessius, Sarmiento, Banat, Garcias, Wigers, Sylvius, Cabassutius, et plures alii.

Prob. conclusio 1º autoritate canonum. Cap. *Consuetudinem, de clericis non residentibus*, lib. III, tit. 3, in 6º, statuitur absentes a choro distributionum quotidianarum non acquirere dominium, nec facere suas. Idem statuit Trid., sess. xxii, cap. 3 de Reform. Cap. *Commisssa, de election.*, in 6º, dicitur quod suscipiens parœciam sine animo accipiendi sacerdotium intra annum, debeat restituere fructus parœciæ, eo quod eos non faciat suos. Pius V, bulla 138, declarat beneficium non recitantem officium non facere fructus suos. Idem declarat Trid., sess. xxiv, cap. 12 de Reform., de eo qui intra duos menses non emittit professionem fidei. Ergo, a contrario sensu, ii qui oneribus impositis satisfaciunt, horum fructuum acquirunt dominium et faciunt suos, ne alioquin pares sint qui officio satisfaciunt et qui non satisfaciunt.

Neque dicas hoc dominium esse vinculatum; nihil enim tale innuitur autoritatibus citatis, neque probari potest alia autoritate aut ratione sufficiente, ut patebit ex solutione objectionum. Quin imo contrarium evincitur ex rationibus sequentibus: nisi forte dicas vinculum afficere, non res ipsas, sed personas, quatenus tenentur ex lege charitatis et Ecclesiæ præcepto illa bona impendere in usus pios. Tale vero vinculum, quod agnoscimus, non officit vero et absoluto dominio, nec importat obligationem ex justitia, aut onus restitutionis.

Prob. 2º ratione. Juxta communem sententiam, quam admittit major et sanior pars adversariorum, beneficiarii sunt absolute domini quorundam fructuum, scilicet eorum qui suæ sustentationi sunt necessarii, de iisque pro libitu saltem valide disponere possunt. Ergo et omnium. — *Prob.* conseq. Beneficiarii reditus omnes suorum beneficiorum indistincte recipiunt, hos aut illos in sui sustentationem applicare possunt, et consequenter de his aut illis, valide saltem, pro libitu disponere. Ergo ex parte fructuum non possunt dici aliquorum determinate domini, et

non aliorum; sed, cum omnes indistincte percipiuntur, indistincte eandem subeunt sortem quoad rationem domini. Ergo omnium: ita ut obligatio quam habent superfluos impendendi in usus pios non sit realis, hoc est, ipsi rei annexa, sed personalis, hoc est, ipsi personæ imposita. Quæ obligatio neque repugnat vero et absoluto domino, neque impedit validam rerum dispositionem, neque onus restituendi inducit, ut patet in obligatione eleemosynæ.

Prob. 3°. Qui rem possidet, censetur ejus dominus, neque est cogendus eam a se abdicare ex justitia, nisi constet esse alienam, juxta hanc regulam 65 juris in 6°: « In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis. » Atqui clerici possident omnes fructus sui beneficii, neque probari potest ex ullo capite eos non habere eorum dominium, eosve teneri ad restitutionem, si male impenderit. Ergo.

Prob. min. Id probari non potest, neque ex parte donantium, neque ex parte Ecclesiæ recipientis.

Non ex parte donantium; quia fideles donarunt hæc bona Ecclesiæ et ecclesiasticis simpliciter et absolute, non vero sub conditione saltem expressa et in pactum deducta erogandi superflua in usus pios. Quamvis enim id forte speraverint et intenderint, hanc tamen intentionem non deduxerunt in pactum tamquam conditionem *sine qua non*; quod foret necessarium ut donatio censeretur conditionata, et non absoluta. Non enim mens interior contrahentis afficit contractum, aut obligat ex justitia alterum contrahentem, nisi sit expressa et in pactum deducta: v. g., Caius legat Titio nepoti suo studenti mille florenos, item Sempronio, alteri nepoti, patrifamilias, mille aureos, intendens et sperans fore ut et ille impendat mille florenos in studiis, et iste mille aureos in sublevamen familiæ; si tamen intentionem hanc non exprimat, nec ut conditionem apponat, Titius fit absolute dominus mille florenorum, et Sempronius mille aureorum, nec ad eorum restitutionem tenentur, si in alios usus expendant. Sic iterum das eleemosynam pauperi, intendens et sperans fore ut

pro te oret; non orat pro te pauper, nihilominus fit absolute dominus eleemosynæ, nec tenetur eam restituere. — *Prob. itaque ant. 1°* Hæc conditio expressa et in pactum deducta nullibi legitur, seu ostendant adversarii. *2°* Si talis fidelium donatio esset conditionata, sequeretur quod clerici qui superflua non erogarent pauperibus, nullius partis suorum proventuum essent domini (quod negat major pars adversariorum), cum donatio sub conditione non purificata corruat. Ergo.

Non ex parte Ecclesiæ recipientis. Si Ecclesia censeret aut vellet clericos stricto jure teneri ad restitutionem fructuum male expensorum, id procul dubio claris et expressis terminis alicubi declarasset. Atqui id nullibi claris et expressis terminis declaravit. Ergo. — Major videtur necessario admittenda, cum res hæc sit maximi momenti, quippe quæ spectat conscientiam omnium beneficiariorum, ædificationem publicam et sublevamen pauperum, et a pluribus in dubium revocetur aut negetur. — *Prob. itaque min.* Nullum prorsus canonem sive conciliorum sive Pontificum hucusque proferre potuerunt adversarii, qui hanc restitutionis obligationem clare et expresse importet aut significet. Ergo nullibi id declarat Ecclesia, aut dicant ubi.

Dices: Ecclesia in multis canonibus sancit clericos debere dispensare bona ecclesiastica, non ut propria, sed ut communia, eos non esse dominos, sed administratores tantum. Similiter SS. Patres, Hieron., Aug., Chrysost., Ambros., Greg., dicunt bona ecclesiastica esse pauperum, quibus dum fraudantur, esse rapinam et sacrilegium, et passim hæc bona vocantur « res Dei, bona Crucifixi, patrimonium pauperum. » Ergo.

Resp. Quantum ad canones et SS. Patres qui floruerunt ante octavum sæculum, intelligendi sunt de bonis ecclesiasticis ante eorum divisionem; quamvis enim a B. Sylvestro hæc divisio fuit inchoata, non tamen nisi sæculo octavo cæpit in pluribus locis recipi. Quantum ad eos qui

sequuntur octavum sæculum, ita locuti sunt secundum piam exaggerationem, seu, ut dicitur, concionatorie, non theologicæ, propter strictissimam obligationem qua tenentur clerici hæc bona erogare in usus pios, ut dicam infra; simili enim modo loquuntur de sæcularibus divitibus, quos tamen nemo negat absolute dominos suorum bonorum. Sic S. Basilius, de sæcularibus avaris: « Esurientis est panis, inquit, quem tu retines, nudi est vestis quam in arca custodis, etc. » Aug., Serm. 206¹, de sæcularibus ait, illos aliena invadere, qui non erogant superflua pauperibus.

Item bona ecclesiastica vocantur « res Dei, bona Crucifixi, etc., » quia propter Christum et in Dei cultum, ejusque ministrorum sustentationem sunt donata; non autem quod nullus præter Christum aut Deum sit eorum dominus: nisi forte sic intelligas, quod nullus sit eorum dominus sicut patrimonialium, quasi de illis æque licite ac de istis pro libitu possit disponere.

Similiter dicuntur patrimonia et alimenta pauperum, quia ipsis debentur ex rigoroso præcepto Ecclesiæ, religionis et charitatis, quamvis non justitiæ. Sic ab iisdem SS. Patribus superflua laicorum pariter dicuntur quandoque patrimonia pauperum, quamvis certo certius sit eis non deberi ex justitia, sed ex charitate tantum. Insuper hi et similes modi loquendi possunt recte intelligi de bonis ecclesiasticis, prout complectuntur, non solum bona clericorum, sed fabricæ et pauperum.

Expenditur mens D. Thomæ, in probationem conclusionis.

Sanctus Doctor, *Quodl.* vi, q. 7, a. 12, ubi discutit, an clerici teneantur sub mortali dare eleemosynam de superfluis, cum in corp. dixisset generatim de bonis ecclesiasticis ut sic, clericos non esse dominos, sed dispensatores, et resolvisset eos posse dupliciter peccare in eorum bonorum administratione: uno modo, ex rei ipsius conditione, dum scilicet usurpat sibi tamquam rem propriam quod

1. Olim de Diversis 70.

est alterius; alio modo, ex inordinato usu eorum quæ in suam partem cedunt, sicut de aliis, id est de patrimonialibus, dixerat initio corporis (quod jam aperte asserit nostram sententiam), proponit sibi argumentum ordine tertium his verbis: « Quicumque consumit quod est alterius, tenetur ad restitutionem. Sed bona clericorum sunt pauperum, ut patet per glossam Hieronymi supra illud *Isaie*, iii, 14: *Rapina pauperum in domo vestra*. Ergo, si clerici inutiliter bona ecclesiastica consumunt, tenentur restituere pauperibus aliunde, si habuerint. » En ipsissimum adversariorum argumentum. Audiamus responsum S. Doctoris: « Ad tertium, inquit, dicendum quod bona ecclesiastica non solum sunt dispensanda pauperibus, sed etiam Ecclesiæ ministris. Unde, secundum canones, debent dividi hoc modo, ut aliqua pars cedat in usus pauperum, et aliqua pars in usus ministrorum et in cultum Ecclesiæ. Aliter ergo dicendum est de illis ecclesiasticis bonis quæ principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, et ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium et alia hujusmodi; et aliter de illis bonis quæ sunt principaliter attributa usibus ministrorum, sicut sunt præbendæ clericorum et alia hujusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur, non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit quod est alterius; et ideo tenetur ad restitutionem, tamquam defraudator rei alienæ. In secundis vero bonis, non committitur peccatum nisi per abusum, sicut et de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad penitentiam peragendam. »

Eandem sententiam et plerumque eundem loquendi modum constanter tenet S. Doctor in *Summa*, 2^a 2^e, q. 185, a. 7, o, ubi quærit: « Utrum episcopi mortaliter peccent, si bona ecclesiastica quæ procurant, pauperibus non largiantur. » Quidquid autem resolvit de episcopis in hac parte, idem dicendum de aliis beneficiatis. Igitur, cum præmisset episcopos bonorum propriorum habere absolutum dominium, et vi talis dominii posse pro libitu valide

de illis disponere, nec teneri ad restitutionem, si male impendant, quippe quod non peccent ex rerum conditione, sed propter inordinationem affectus; bonorum vero ecclesiasticorum, generatim scilicet et indistincte, non esse dominos, sed administratores et procuratores tantum, quia inter bona ecclesiastica, præter bona episcopi, numerantur etiam bona aliorum clericorum, fabricæ et pauperum, quorum episcopi non sunt domini, sed administratores tantum: his, inquam, præmissis, subdit S. Doctor: « Si ergo distincta sint bona quæ debent in usum episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus et ministris et cultui Ecclesiæ eroganda, et si aliquid sibi retinuerit episcopus de his quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum ministrorum aut in cultum divinum expendenda: non est dubium quin contra fidem dispensationis agit, et mortaliter peccat et ad restitutionem tenetur. De his autem (bene nota) quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de bonis propriis: ut scilicet propter immoderatum affectum et usum peccet quidem, si immoderata sibi retineat et aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. » Hic deesse hanc clausulam errore typographi vel amanuensis: « Non tamen tenetur ad restitutionem, » notat Sylvius, post Dom. Soto et editionem Duacensem, et bene; alias erit imperfecta sententia, nec ulla erit, quam tamen intendit S. Doctor, distinctio inter bona deputata usui episcopi et non deputata, sed utrobique erit peccatum et obligatio restituendi.

Verum, etsi hanc clausulam non expresserit S. Thomas, plus quam sufficienter eam indicasse et certo esse de ejus mente evidenter probant momenta sequentia. 1^o Disparitas de qua modo, quam intendit S. Doctor inter utraque bona, ut patet ex textu; quæ alioquin non subsistet. 2^o Quod dicat eandem esse rationem de bonis deputatis usui episcopi, quæ est de propriis bonis. Hanc porro paritatem indubie intelligit S. Thomas, non quidem quantum ad omnia generatim (certum est enim bona ecclesiastica esse magis obstricta pauperibus et usibus piis quam patrimonialia, idque aperte significat S. Doctor ad 2, ubi dicit illa non posse impendi ad ditandos parentes, quod tamen

licet de bonis patrimonialibus); sed hanc, inquam, paritatem intelligit quantum ad ea omnia quæ prius tribuerat bonis patrimonialibus. Hujus enim propositionis: « Videtur esse eadem ratio quæ est de bonis propriis, » sensus naturalis et planus est: Videtur dicendum quod dixi de bonis propriis. Dixi autem de bonis propriis, episcopos « habere verum illorum dominium, » et inde non obligari « ex ipsa rerum conditione ea aliis conferre, » sed posse « pro libitu » de eis valide disponere, quamvis quandoque illicite, propter « inordinationem affectus, » vel plus quam oporteat sibi retinendo, vel minus quam exigit charitas pauperibus largiendo; quo tamen casu, « eos non teneri ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatæ. » Ergo idem per omnia censet et dicit de bonis deputatis usui episcopi, nisi velis ipsum et falsitatis et oseitantiæ arguere. Et per hæc præcluduntur omnes evasiones adversariorum.

Respondet P. Henno, S. Doctorem « manifeste » loqui de portione congruæ sustentationi necessaria, non de superflua. Et ego dico hanc evasionem « manifeste » repugnare textui S. Thomæ. Loquitur enim S. Doctor, ut legenti patet, de integra portione specialiter usui episcopi deputata, et prout est distincta ab aliis portionibus pauperum, fabricæ et aliorum clericorum. Et insuper, si clerici sint domini alicujus partis, sunt totius, ut probavimus supra.

Pergit nihilominus confidenter laudatus author his verbis: « Quod autem D. Thomas non adversariis, sed nobis formalissime faveat, patet ex *Quodlibeto* VI, ubi dicit: « Bonorum ecclesiasticorum clerici non sunt veri domini, » sed dispensatores. » Pace viri Religiosi dixerim: Non legit S. Thomam loco citato; alias vidisset ibidem ipsum « formalissime » asserere clericum indebite impendentem bona ecclesiastica suis usibus deputata, peccare tantum per abusum, ut dixerat de patrimonialibus, « nec teneri ad restitutionem, sed tantum ad pœnitentiam peragendam. » Relegatur textus supra citatus.

Quando vero S. Thomas dicit, non solum *Quodlibeto*

citato, sed etiam in *Summa*, quæst. jam sæpe citata 183, bonorum ecclesiasticorum clericos non esse dominos, sed dispensatores, non loquitur de bonis ecclesiasticis quæ sunt specialiter usibus clericorum destinata, nisi velis ipsum intra paucas lineas pugnantiæ loqui, sed de bonis ecclesiasticis, vel ut ante divisionem consideratis, vel, quod verius est, de iis quidem post divisionem, sed indistincte et in communi, quatenus comprehendunt bona fabricæ et ea quæ « principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, et ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium et alia hujusmodi. » Hæc non gratis nec ex nobis, sed « formalissime, » ut vides, ex S. Thoma, *Quodl.* citato. Porro de talibus bonis ecclesiasticis non dicimus clericos esse dominos, sed tantum dispensatores. Vocantur autem hujusmodi bona ecclesiastica, tum quia, ut dicit S. Thomas, « ex consequenti sunt attribuenda necessitatibus ecclesiasticorum; » tum quia sunt bona primitus Ecclesiæ data, et per Ecclesiam usibus præfatis assignata; tum tandem quia eorum administratio est ecclesiasticis concredita.

Judicet nunc æquus lector qua vel specie veri dixerit clarissimus Pontas, verbo *Bénéficiæ*, casu 13, S. Thomam « usque ad mortem perstitisse in opposita sententia, ut, inquit, patet in sua *Summa*, ubi clarissime et sine ambiguitate docet eandem sententiam. » Doctorem hunc Parisiensem antiquioribus et oculatissimis S. Thomæ interpretibus longe oculatiorem esse oportet, qui in eo clarissime et sine ambiguitate id viderit, cujus summi illi et oculatissimi viri *Summam* Angelicam diu noctuque versantes nec umbram viderunt; imo cujus oppositum clarissime et sine ambiguitate traditum agnoverunt.

Dico 2º: Clerici strictiori jure quam sæculares tenentur erogare bona ecclesiastica superflua pauperibus, aut in usus pios, ita ut mortaliter peccent, si in profanos usus impendant. Est communis.

Prob. 1º ex strictissimo Ecclesiæ præcepto quod ex antiquis canonibus innovat Trid., sess. xxv, de Reform. cap. 1, his verbis: « Omnino eis (episcopis) interdicit, ne ex redi-

tibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant, cum et Apostolorum Canones prohibeant ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa. » Quod extendit infra ad omnes beneficiatos.

Ubi notanda est hæc particula, « quæ Dei sunt, » qua significatur motivum hujus præcepti. Cum enim hæc bona sint oblata Deo, vel potius Ecclesiæ, ut cedant in Dei cultum (Deus enim non potest visibiliter adiri, nec his rebus indiget), conveniens est, ex ipsorum conditione, ut impendantur in usus Deo gratos, qualiter ipse Deus impenderet, si de illis ut homo disponderet. Et ideo præcepit Ecclesia in tales usus ea impendi.

Quia vero Ecclesia præcipiens aut prohibens aliquid ex motivo alicujus virtutis transfert materiam præceptam vel prohibitam ad speciem talis virtutis; sic, v. g., quia prohibet furtum in loco sacro ex motivo religionis, furari in loco sacro est peccatum contra religionem: hinc sequitur clericos, nedum ex obedientia Ecclesiæ debita, sed etiam ex virtute religionis teneri superflua impendere in usus pios.

Prob. 2º. Clerici, ratione gradus quem obtinent in Ecclesia, sunt veluti patres et tutores pauperum. Ergo strictiori præcepto charitatis quam sæculares tenentur illis subvenire.

Itaque, secundum nos, triplici titulo tenentur beneficiarii fructus sibi superfluos sui beneficii impendere in sublevamen pauperum, aut in alios pios usus, 1º ex lege Ecclesiæ; 2º ex virtute religionis; 3º ex præcepto charitatis¹.

1. Cum inique et violenter doctrina hic exposita fuisset impetita a Daniele Concina, e familia Dominicana, Billuart sententiam suam et seipsum contra Fratrem suum acerrime defenderat, hic interserendo *Monitum christianum ad R. Patrem Danielem Concina, auctorem THEOLOGIE CHRISTIANÆ, in defensionem præcedentis doctrine.* Quia vero proluxa hæc apologia nullum novum argumentum profert, et nunc frustra locum occuparet, eam amandandam esse censuimus. Si cui forte placeat eam legere, fusiorem *Summam* adeat.

[Contrariam sententiam dicit S. Ligorius probabilem et valde communiorem inter recentiores. Hæc tamen eidem videtur satis in praxi probabilis, præsertim propter auctoritatem S. Thomæ, cujus argumenta admittit ut valida ¹. Unde concludendum est clericum qui superfluum suum non canonice impendit, non teneri ad restituendum ex bonis propriis, sed tantum ad pœnitendum.

Petes 1º quid nomine superflui sit intelligendum.

Resp. Superfluum æstimatur quod honestam seu congruam sustentationem excedit. Porro congrua sustentatio clerici censetur, quæ necessaria est ad statum proprium decenter sustinendum et familiæ providendum, secundum conditionem, gradum, dignitatem, qualitatem beneficiati et regionem in qua habitat. Ita intelligit S. Ligorius ².

Petes 2º quantum requiratur in hac materia ad constituendum peccatum mortale.

Resp. Requiritur major quantitas quam in furto. De beneficiato dicit Angelicus, 2^a 2^æ, q. 183, a. 7, o: « De his quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de propriis bonis, ut scilicet, propter immoderatum affectum et usum, peccet quidem, si immoderate sibi retineat et aliis non subveniat sicut requirit debitum charitatis. Si vero non sint prædieta bona distincta, eorum distributio fidei ejus committitur. Et si quidem in modico deficiat vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud quod fieri oportet. Si vero sit multus excessus, non potest latere.» Non est ergo materia gravis, nisi sit multus excessus, id est, juxta veriore sententiam, vigesima pars superfluum, si hæc ipsa peringat ad summam notabilem ³.

Petes 3º qui veniant nomine pauperum.

Resp. Nomine pauperum veniunt non solum ostiatim mendicantes, sed etiam illi qui, nisi eleemosynas acci-

1. Lib. IV, n. 492. — 2. Ibid, n. 491, *quær.* 2º. — 3. Id., *ibid.*, lib. V, n. 183.

piant, suum statum nequeunt conservare, etiam consanguinei, si sint vere pauperes. Licet etiam hos cæteris etiam gravius egentibus præferre, « quia, ait S. Ligorius, subventio propinquorum egentium pertinet etiam ad proprium statum clerici servandum, cum illorum paupertas in ipsius dedecus redundet ¹. » Hoc consonat decreto Trident. modo citato.

Petes 4º utrum beneficiatis liceat superflua reservare in futurum ad usus pios.

Resp. Angelicus, ubi supra, ad 4: « Bona Ecclesiæ usibus pauperum deservire debent. Et ideo, si quis, necessitate non imminente providendi pauperibus, de his quæ superfluum ex proventibus Ecclesiæ possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati Ecclesiæ et necessitatibus pauperum, laudabiliter facit. Si vero necessitas immineat pauperibus erogandi, superflua cura est et inordinata, ut aliquis in futurum conservet; quod Dominus prohibet, *Matth.*, vi, 34: *Nolite solliciti esse in crastinum.* » Advertendum est tamen quod, si quid in futurum reservetur, cautio sufficiens adhibenda est, ne, morte adveniente, tales redditus forte a consanguineis diripiantur ².

Petes 5º utrum beneficiato liceat sibi reservare aliquid in futurum.

Resp. posse quædam moderate reservare, ut obvietur infirmitati et aliis necessitatibus quæ probabiliter contingere poterunt, si tamen actu non urgeat gravis pauperum necessitas, ea tamen conditione, ut, si his postea non indigeat, juxta legis canonicæ præscriptionem impendantur.

Petes 6º utrum beneficiati valide testentur de redditibus superfluis.

Resp. affirmative, secundum sententiam supra propugnatam et ex consuetudine multis in locis recepta. Sed hoc non est licitum nisi ad causas pias. Quamvis enim, ubi consuetudine invaluit, valide testentur etiam in usus pro-

1. Lib. IV, n. 491, *quær.* 2º. — 2. Id., *ibid.*, *quær.* 4º.

fanos, peccant tamen mortaliter, nisi hoc faciant ex indulto Papæ¹.

Petes 7^o utrum pensio quæ in Gallia sacerdotibus a gubernio solvitur, boni ecclesiastici naturam induat.

Resp. affirmative, quia ex Concordato anni 1801 pensio prædicta fuit stipulata in compensationem bonorum ecclesiasticorum quæ tempore perturbationis Gallicæ confiscata sunt et alienata. Ergo eandem naturam induit quam habebant bona quibus substituitur.

Constat etiam ex sequentibus S. Pœnitentiariæ responsis.

1^o « An salaria quæ in Belgio solvuntur a gubernio pastoribus et canonicis, induant beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum indolem, et annexam habeant obligationem inhærentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et residentiæ, sub pœna non faciendi fructus suos? »

» Sacra Pœnitentiaria, perpensis expositis, respondit :
» Jam alias a Sancta Sede, de consiliis secretæ Congregationis, responsum fuisse affirmative.

» Datum Romæ, die 19 januarii 1819. »

2^o « Sacra Pœnitentiaria consulta : an illa responsio applicari debeat salariis quæ pastoribus et canonicis regni Galiarum a gubernio solvuntur, respondendum censuit affirmative. »

3^o « An responsio pro Belgio diei 19 januarii applicari debeat solis salariis fixis 1000 librarum pro parochis et 750 librarum pro deservientibus, vel extendi debeat ad oblationes fidelium? »

» Sacra Pœnitentiaria super noviter expositis respondendum censuit : affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

» Datum Romæ, die 9 augusti 1824. »

Ex hoc ultimo responso sequitur, oblationes voluntarias

1. De Angelis, lib. III, tit. 26.

a fidelibus parochis factas, itemque proventus qui *casuales* dicuntur, recenseri inter bona quasi-patrimonialia, quorum usus liber est.

E contra, supplementa quæ a municipiis parochis erogantur, quasi pars pensionis communiter habentur, siquidem non tribuuntur nisi ex decreto generali gubernii (Art. org. 67), et vi Concordati inter summum Pontificem et gubernium initi. — Excipe, nisi supplementum hoc propter functiones non obligatorias et laboriosas fuerit stipulatum ; quo in casu naturam boni quasi-patrimonialis induit.

Notandum ad praxim. Quæstio de usu bonorum ecclesiasticorum, in Galliis, sicut et in pluribus aliis regionibus, hodie fere speculativa facta est. Etenim pensiones a gubernio solutæ in compensationem reddituum qui ex bonis beneficalibus confiscatis et alienatis proveniebant, sunt ita modicæ, ut nequidem honestæ ministrorum Ecclesiæ sustentationi sufficiant : unde nihil superflui ex his superesse potest. Si qui, misere vivendo, aliquid de tali redditu reservant, quod vix possibile esse videtur, hoc ad genus bonorum patrimonialium pertinet, et extra legem canonicam ponitur.]

DISSERTATIO III

DE MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM

Res respectivæ ad dominium sunt duplicis generis. Quædam sunt appropriatæ, id est, habent proprium et determinatum dominium. Quædam sunt communes aut quasi communes, quæ scilicet nullum ex se censentur habere dominum, ut sunt feræ in silvis, pisces in fluviis, etc. Et juxta hanc rerum diversitatem diversi sunt modi earum dominia acquirendi. Harum quæ sunt alicui appropriatæ acquiritur dominium voluntate domini vel autoritate legis. Illarum quæ nullius sunt, acquiritur dominium prima occupatione.